



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 46. Ejusdem Myst. punct. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO XLVI.

*De tentatione Christi. Luc. 4. Matth. 4.
Myft. punct. 2.*

CONG. Sicut nunc dictum est.
PRÆL. I. Quomodo Christus ter à diabolo fuerit tentatus.

PRÆL. II. Oculis mentis videre diabolum cum Christo, & locum solitudinis conspiciari.

PRÆL. III. Poscere exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divinâ ope ad eas vitandas.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus diabolum apud Christum in deserto.

INTEL. Hinc patet, quàm verum sit, quod dux impiorum, daemones per totum orbem spargit ad nocendum... nullis personarum generibus immunibus relictis. **REFL.** Concludamus, quod meritò nobis dictum sit 1. Petri. 5. *Sobrii estote, & vigilate, quia Adversarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quarens quem devoret.*

VOL. Accusemus incuriam nostram contra hostem tam vigilem. Oremus Deum, ut gratiâ suâ nos præveniat, & excitet; & statuamus cum Christo vigilare, & sobrietatem sectari.

L₃ Pux

PUNCTUM II. VERBA. MEM. *Tentator dixit: si filius Dei es, dic, ut lapides illi panes fiant.... si filius Dei es, mitte te deorsum.... Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: haec omnia tibi dabo, si cadens Adoraveris me. Matth. 4.*

INTEL. Notemus ordinem tentandi juxta Regulas de disc. Spirit. Solet diabolus primum illecebras carnis, & sensuum delectationes objicere; ut, si peccatores sint, teneat illos peccatis plenos. Si peccatores non sint, sicut statim deprehendit Christum non esse, nec proinde delectationem gulae in ipso locum habere, multò minus carnis, tunc immittere conatur *Molestias...* rationes falsas, & alias id genus perturbationes, hinc tentatio illa sequitur: *Mitte te deorsum. &c.* Non solet verò omittere tres praecipuos tentationum gradus, *in divitiis, honoribus, & superbiâ* fundatos. Ideòque non tantum ostendit *omnia regna mundi;* Sed etiam *gloriam eorum,* & de utrisque dicit: *haec omnia tibi dabo, &c.* REFL. Juxta Regulas de disc. Spir. examinemus tentationes nostras.

VOL. Inter tot tentationes, & hostes positi, diffidamus propriis viribus, & certam fiduciam collocemus in auxilio Dei, *quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Ps. 115.*

PUNCTUM III. OPERA. MEM. *Christus tentabatur à diabolo. Luc. 4.*

INTEL. Ratiocinemur Christum Regem, Ducem, ac optimum Imperatorem nostrum, voluisse

luisse pugnam illam sustinere, ut nobis animos daret: juxta illud, quod militibus suis dicebat: *In iisdem quoque laboribus, vigiliis, & casibus ceteris mecum persistendum erit, ut particeps fiat victoria, &c.* REF. Cogitemus, quàm ignavi nos simus milites, & vituperio digni, qui post tale Ducis nostri exemplum, in pugna contra diabolum trepidamus, & animis cadimus.

VOL. Pudeat nos tantæ pusillanimitatis, & juxta Regulas de disc. spir. in Dei virtute collocemus spem nostram, & animum nostrum corroboremus, & memores simus, *quod hostis noster naturam & morem muliebrem refert, &c.*

COLLOQ. Quo poscimus exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divinâ ope ad eas vitandas. REGOLLECTIO.

MEDITATIO XLVII.

De tentatione Christi. Matth. 3.

Myst. punct. 3.

CONG. Propria huic hebdomadæ.

PRÆL. I. Quomodo post tentationem accesserint Angeli, & ministraverint Christo.

PRÆL. II. Fingere sibi locum, ubi Angeli ministrabant.

PRÆL. III. Petere gratiam benè intelligendi, & observandi Regulas *de discernendis spiritibus.*